



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De reformatione rationis. Cap. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

hæc est: Anima tres habet potentias sicut dictum est, rationem, memoriam & voluntatem. Ratio data erat ei, vt Deum agnosceret: voluntas, vt eum amaret: memoria, vt in eo quiesceret. Sed per peccatum ratio cæca facta est, voluntas curua & fœda, memoria instabilis & vaga. Ratio sepius recipit falsum pro vero: voluntas eligit deterius pro bono: memoria occupat se illis quibus semper inquietatur: quia vnum & summum bonum deseruit, in quo omnia bona poterat habere. Conuersa verò ad Deum incipit quærere quod perdidit: & vidēs se deformatā ab eo quòd facta fuerat à Deo, laborat vt ad pristinum statum reparetur, & ad decorem quem amiserat reformetur: quia non est ei accessus ad Deum propter dissimilitudinem in se factam. Sed quia non potest repente ad summum peruenire, studet paulatim accedere de infimo ad medium, de medio ad summum.

Potentia  
anima peccato vitiosa.

*De reformatione rationis.*

CAP. V.

**I**NITIVM ergo reformationis rationis, est, fidem Catholicā firmiter credere. Nam quia ratio nostra lippa facta est, & intellectus obscuratus per peccatum, quòd non possumus veritatem per nos inuenire, Deus condescendit nobis, ne in errore essemus, deditque nobis notitiam veritatis in scripturis, quibus voluit nos credere: vbi omnia quæ nobis ad salutem sunt necessaria sufficienter & veraciter inueniremus: vt in eis sensum nostrum non sequamur, sed regulis fidei sensum nostrum humiliter subiiciamus, si non volumus deuiare. *Eccles. ult.* Quæ per magistrorum seu doctorum fidei consilium data sunt à pastore, vno scilicet

scilicet Deo, his amplius fili mi ne requiras.]  
 Profectus rationis est, ex illuminatione diuina rationes fidei aliquatenus intelligere. Quia etsi fides supra rationem sit, ita quod eam pot se non valet comprehendere, illuminata tamen diuinitus ratio, videt nihil rationabilius esse, quam fides est Christiana, cui omnis natura attestatur, omnis mundi sapientia famulatur. Perfectio rationis in hac vita est, per mentis excessum supra se rapi, & nō per ængmata corporearum similitudinum, nec per ratiocinationum argumēta: sed purissima mentis intelligentia Deum in contemplatione videre.

*De reformatione voluntatis.*

CAP. VI.

**I**NITIVM reformationis voluntatis est, Lex bonæ voluntatis assensu viriis resistere, & operibus virtutum fideliter instare propter Deū. Quia enim curua & distorta fuit auersa à Deo, necesse habet vt conuersa cogat se concordare cum Deo, & motus rebelles per studium boni operis ad rectitudinem reflectere diuinæ voluntatis. Profectus eius est, omnes affectiones habere ordinatas, & in virtutes formatas sine rebellionem vel coactionem: vt iā non libeat nisi quod est secundum volūtatē Dei. Perfectio voluntatis est, vnum cum Deo esse in spiritu per amorem: vt iam non possit velle nisi Deum, & eius suauitatis dulcedine inebriari.

De